

denominationes morales : dicuntur enim ob-
jecta *moralia*, quia per rationem regulantur,
et proponuntur ad actus morales eliciendos,
ut significavit D. Thomas 1, 2, quæst. 19, a. 1,
ad 3, quæ denominatio potest reduci ad cau-
salitatem moralem, quia objecta sunt causa
actuum, et in ordine ad morales actus illa
causalitas est aliquo modo moralis, quia non
imponit necessitatem : dicuntur etiam scientiæ
morales vel per modum effectus, quia habent
pro materia, atque adeo pro causa objectiva,
morales actus, vel etiam possunt sic denomi-
nari per modum causæ, quia dirigunt aliquo
modo actus morales. Tandem simili ratione
dicuntur aliquæ virtutes *morales* : et licet D.
Thomas 1, 2, q. 56, a. 1, et q. 1, de Virtut., a.
10, ad 18, dicat illam denominationem magis
sumptam esse, a *more* ut significat inclinatio-
nem, quam ut significat consuetudinem : ta-
men mihi valde probabilis est hæc posterior
denominatio ; tum quia illa prior omnibus ha-
bitibus potest esse communis ; tum etiam, quia
hæc posterior significatio moris est magis pro-
pria : potest ergo a *more* desumi per modum
effectus, quod significare videtur Aristoteles 2,
Ethic., cap. 1, dicens, *virtus moralis ex more
fit*, unde et nomen accepit : vel etiam potest
sic denominari per modum causæ, quia est
principium moralium actuum, et sic compre-
hendit etiam virtutes infusas : imo si hæc de-
nominatio sumatur in hac ampliacione, etiam
virtutes theologicæ possunt dici *morales*, nam
revera actus earum sunt morales : verum illa
denominatio virtutum specialiter accommodata
est ad illas, quæ etiam habent pro materia,
circa quam versantur, aliquos actus morales
de quo latius alibi.

9. *Ens morale in communi analogum est.*—
Ex quibus omnibus tandem concludo *ens mo-
rale* in tota latitudine sua non dicere proprie
unam rationem communem, ut satis patet ex
magna varietate hujus denominationis quam
explicuimus. Unde licet possimus dicere *ens
morale* esse illud quod ad mores pertinet, vel
quod aliquo modo ex libero operandi modo
procedit, aut ad illum dicit aliquam habitu-
dinem, tamen hæc potius est quædam vocis
analogiæ interpretatio, quam alicujus rationis
formalis communis explicatio : in aliquibus
autem entibus moralibus magis contractis po-
test vere dari ratio communis abstracta, et
divisio, quæ sub illa fiat per se per modum
generis et speciei, et hujus modi est ratio actus
moralis et ratio bonitatis, vel malitiæ moralis,
de quibus nobis mox disputandum est.

DISPUTATIO II.

DE BONITATE ET MALITIA OBJECTIVA HUMANORUM
ACTUUM.

Quoniam objecta, teste Aristotele, sunt
priora actibus, et actus humani vel omnino,
vel præcipue accipiunt ab objectis bonita-
tem et malitiam, ideo antequam disputemus
de bonitate actuum ut actus sunt, dicendum
videtur de bonitate objectorum, quam nos vo-
camus bonitatem objectivam, de qua videbi-
mus an sit, quid sit, et unde sumatur, seu
quotuplex sit et simul dicemus de malitia,
quia facile cognoscitur cognito positivo cujus
est privatio.

SECTIO I.

*Utrum in objectis actuum humanorum sit aliqua
honestas, sive bonitas moralis objectiva.*

1. *Primum argumentum partis negativæ.*—
Secundum argumentum.— *Tertium argumen-
tum.*— Ratio dubii est primo, quia non oportet
ut conditiones, quæ sunt in actu, prius
reperiantur in objecto, etiamsi sumat actus
totam denominationem suam ab objecto : ergo
licet actus humanus sit bonus ex habitu-
dine ad objectum, non oportet, ut objectum ipsum
prius sit bonum : ergo non est necessaria hæc
bonitas objectiva. Primum antecedens patet
inductione, nam licet iudicium intellectus sit
habent pro objecto et verum, non oportet ut illa veritas prius sit in
rebus, nam, teste Aristotele, primo et per se

est in intellectu, per confirmationem ad res :
idem est de certitudine, claritate : et ratione
patet, quia objectum in tantum potest requi-
rere conditionem, quæ est in actu, in quantum
est causa illius : objectum autem non est causa
univoca actus, sed æquivoca : non ergo oportet
ut in se habeat conditionem illam, quam
communicat actui objective : ergo quamvis
objecta humanorum actuum aliquo modo com-
municent actibus bonitatem, non oportet ut
ipsa in se bona sint bonitate morali, seu ho-
nestate. Secundo, actus interior voluntatis non
ideo est bonus, quia objectum est bonum mo-
raliter : duplex enim esse potest tale objectum,
scilicet, aut res omnino extrinseca, seu quæ
nullo modo sit actus humanus, ut est Deus
respectu amoris ejus, vel potest esse aliquis
actus humanus, ut est eleemosyna respectu
voluntatis dandi eleemosynam : priora objecta

non possunt dici ex se moraliter bona, aut
mala, ut per se constat, quia tantum sunt res
quædam simplices et naturales, seu physicæ :
posteriora vero in tantum sunt bona moraliter,
in quantum procedunt ab actibus internis bo-
nis : actus enim exterior eleemosynæ ideo est
bonus, quia a bona voluntate procedit, unde
si interdum procedat a mala voluntate, est
malus : ergo neque in illis objectis secundum
se est bonitas aliqua. Tertio, ut actus volun-
tatis sit malus, non requirit malitiam in ob-
jecto, ergo neque ut sit bonus, requirit boni-
tatem : antecedens patet, nam odium Dei est
malum, et tamen habet pro objecto Deum, in
quo nulla est malitia, et sic de aliis.

2. In hac re vix reperio varietatem opinio-
num, quia theologi pauca de ea in propriis
terminis disputant : potest autem referri hic
opinio eorum, qui negant in actibus externis
esse aliquam bonitatem, quæ non emanet ab
interioribus actibus, quam tenet Almainus,
tr. 3, Moral., cap. 18, et Ocham, quodlib. 4,
quæst. 10, Gregorius, in 2, quæst. 41. Sed re-
vera hi auctores non loquuntur de actibus ex-
ternis formaliter ut objecta sunt, sed ut sunt
actus humani, quæ consideratio est longe di-
versa, ut dicemus.

3. *Prima assertio affirmativa.*— Dicendum
primo. In objectis humanorum actuum, qui sunt
boni moraliter, necessaria est aliqua honestas,
quæ conveniat objecto ex se, et non per actum,
et illa recte dici potest bonitas objectiva. Hanc
conclusionem sumo ex D. Thoma 1, 2, q. 19,
art. 1, ad 3, dicens : *Primo ad 3, attende :
bonum per rationem bonitatis ut objectum, et in quan-
tum cadit sub ordine rationis, pertinet ad actum
moralis, et causal bonitatem moralem in actu
voluntatis.* In quibus verbis dicit aperte bo-
num præsupponi ut objectum ante actum vo-
luntatis, et respectu actus moraliter boni : il-
lud bonum aliquo modo pertinet ad genus
moralis per ordinem ad rationem : est ergo in
illo aliqua bonitas quam recta ratio cognoscit,
et hanc nos vocamus objectum honestum :
unde 1, 2, q. 20, art. 1, ad 1, ait idem divus
Thomas actum externum prout est prior in
ordine rationis, quam internus, habere ex se
bonitatem non ab interiori actu, sed quæ sit
potius fundamentum bonitatis interioris actus.
Ubi est advertendum non sentire D. Thomam
hanc bonitatem non convenire his actibus pro-
ut in re sunt, eo quod dicat convenire illis
prout sunt in ordinatione rationis, quia res
quæ judicatur bona, non in apprehensione
tantum, sed in existentia judicatur bona : ut

ergo iudicium sit verum, oportet ut res in se
habeat bonitatem, quam habet ut rationi ob-
jecta : dicit tamen D. Thomas hanc bonitatem
convenire actibus externis ut sunt in appre-
hensione rationis, quia ut sic obijciunt vo-
luntati, et ita hoc modo dicendi, explicuit hanc
bonitatem esse objectivam, et convenire acti-
bus externis, non ut actus sunt morales, sed
ut objecta sunt. Eandem doctrinam repetit,
quæst. 2, de Malo, art. 3, in corp., et ad 8,
ubi hanc vocat bonitatem primordiale, et
ita conclusionem hanc fere omnes Thomistæ
docent, Conradus, alii 1, 2, q. 20, art. 1 et 2,
Ferrariensis 3, contr. Gent., cap. 1, Vigerius,
in Summ., cap. 2, § 5, vers. 2, et alii theologi
quos infra referam.

4. Ratione probatur, quia objectum volun-
tatis est bonum sub ratione boni : ergo bonitas
illa, quæ movet voluntatem, non manat a vo-
luntate, sed supponitur in objectis : idem ergo
proportionaliter verum est in omnibus habi-
tibus, vel actibus voluntatis, quia omnia ten-
dunt in objectum adæquatum potentiæ pro-
portionali modo : ergo idem necesse est dicere
de actibus bonis et rectis : supponunt ergo in
objectis suis aliquam bonitatem moventem vo-
luntatem ad tales actus, et formaliter termi-
nantem tendentiam eorum. Tunc ulterius, illa
bonitas talis objecti non constituit bonum uti-
le, nec delectabile : ergo honestum est : ergo
in ipsa, aliqua honestas sufficiens in suo genere
ad dandum actui bonitatem moralem, et ideo
recte dicitur bonitas moralis objectiva. Pro-

ter hanc bonitatem moralem, et ideo
recte dicitur bonitas moralis objectiva. Pro-
batur duæ partes de utilitate et delectabili-
tate, nam imprimis bonum utile ut sic est
respectivum : et totam suam rationem appeti-
bilis sumit ab illo, ad quod est utile, ut suo
loco jam ostensum est : ergo utile ut sic est
indifferens, et ut sit honestum, dicendum est
esse utile ad honestum objectum, seu finem :
ergo proprie et formaliter hæc bonitas non est
in bono utili ut utile est, sed in aliquo bono
per se amabili, ut latius postea. Similiter ho-
num delectabile ut sic non est sufficiens ad
dandum actui interiori bonitatem moralem,
sed ex adjunctis judicandum est de illo, nam
potest habere adjunctam turpitudinem, et tunc
actus, qui circa tale bonum versatur, erit ma-
lus moraliter : interdum vero neque turpitudi-
nem, neque honestatem habet adjunctam, et
tunc est indifferens : unde non potest facere
actum bonum, sed ad summam facit indiffe-
rentem in specie, et in individuo erit bonus,
vel malus ex adjunctis circumstantiis : ali-
quando vero potest delectatio esse honesta,

quia consequitur honestam operationem, quæ operatio habet rationem objecti honesti : ergo honestas illius non est ipsa delectatio, sed aliqua alia ratio boni, a qua et opus ipsum, et consequenter delectatio est honesta.

5. Dices præter has tres rationes esse quamdam aliam convenientis boni ut sic, et illam sufficere ut ex parte objecti fundet bonitatem actu. Respondetur juxta metaphysicam distinctionem boni in utile honestum, et delectabile, omne illud quod est amabile tanquam per se conveniens, reduci ad bonum honestum : unde licet concedamus illam convenientiam cum natura fundare objective bonitatem actus, nihilominus illa vere dicitur honestas quædam. Addo tamen ulterius, non quidquid est conveniens naturæ hominis, hoc ipso esse honestum proprie et in ordine ad mores, ut nunc loquimur, nam vita per se est conveniens naturæ, et tamen interdum amare illam potest esse turpe, et idem est de sanitate, aut aliis commodis naturæ, et hoc modo antiqui philosophi, ut constat ex Tullio 3 et 4, de Finib., distinxerunt bonum naturæ a bono honesto, quod appellabant per se decens : in objectis ergo actuum humanorum sola commoditas naturæ non est sufficiens ad honestatem actuum : ergo est in eis aliqua ratio bonitatis, quam proprie honestatem appellamus, ratione cujus talia objecta per rectam rationem judicantur esse homini decencia, et propter se recte amabilia.

6. *Secunda assertio trimembris.*—Dicendum secundo. Hæc honestas non convenit tantum actibus humanis, sed etiam aliis rebus, quæ per se recte amari possunt : neque etiam convenit solis actibus externis, sed etiam internis. Hæc conclusio declaratur uno exemplo quoad priorem partem, nam tota illa sequitur ex præcedenti, et eadem ratione probanda est proportionaliter explicata. Prima ergo pars declaratur hoc exemplo, Deus est objectum per se amabile ab homine rectissimo amore : non est autem ita amabilis Deus, quia amor qui in ipsum tendit, rectus est, sed e contrario : quia Deus de se ita est bonus, et ita amabilis, ideo amor qui tendit in illum sub hac ratione rectus est : ergo hæc objectiva bonitas supponitur in ipso Deo, neque convenit illi per denominationem ab actu voluntatis, sed potius in suo genere est causa rectitudinis voluntatis. Dicunt aliqui tale objectum non denominari bonum nisi a causalitate, quia scilicet potest causare actum bonum. Sed si hoc intelligatur de actuali causalitate, sic est aperte falsum : est e-

nim objectum de se bonum, etiamsi actu non causet actum bonum : si autem intelligatur de virtute causandi, cum hæc causalitas pertineat ad finalem causam, verum est bonitatem ipsius objecti esse virtutem, per quam sic causat, juxta dicta initio hujus operis. Hæc autem bonitas non consistit proprie in relatione causalitatis, sed est veluti virtus ipsa, in qua potest fundari talis relatio.

7. Atque hinc probatur secunda pars conclusionis de actibus externis, qui etiam sunt objecta internorum, et interdum sunt tales, ut ex se habeant unde recte amentur, quo sensu vera est illa causalis, quia dare eleemosynam bonum est, ideo velle dare est bonum : ergo in talibus actibus secundum se præsupponitur aliqua bonitas, quæ non manat ab interiore actu, sed potius objective præsupponitur, et est fundamentum rectitudinis illius.

8. Denique eodem modo probanda est ultima pars conclusionis de actu interiori : qui dupliciter potest considerari : primo quatenus unus actus interior potest per alium actum amari quasi reflexe, et hoc modo eadem est ratio de uno actu interiori respectu alterius per quem amatur, quæ est de actu exteriori respectu interioris : sicut ergo actus exterior in se et ex se habet honestatem objectivam, ob quam recte amari potest, ita etiam interior : et hoc modo velle amare Deum est actus bonus, quia ipsum amare est objectum bonum, et per se decens homini ut recta ratione utitur : ergo illa est honestas objectiva unius actus respectu alterius. Secundo potest considerari actus interior quatenus se ipso est intrinsece voluntarius, et consequenter volitus : sub qua ratione non habet proprie rationem objecti, quia non est volitus ut objectum, sed ut actus : attamen eo modo quo est volitus, lata quadam ratione potest dici aliquo modo inducere ratione objecti, nam vere ut sic est amabilis. Et eadem consideratione si actus sit honestus dici potest intrinsece includere honestatem objectivam, ratione cujus est amabilis honeste intrinsece et per seipsum, est enim eadem proportionalis ratio. Poterat autem circa hanc conclusionem inquiri, utrum hæc honestas objectiva reperiri aliquo modo in mediis ut media sunt, et in privationibus, et in entibus, seu respectibus rationis : quæ commodius explicabuntur in sequentibus sectionibus.

9. *Prænotatio divisionis bonitatis objectivæ et formalis.*—Ad argumenta in principio posita, quoniam magna ex parte fundantur in æquivocatione nominum, præmittenda est

distinctio jam insinuata bonitatis et honestatis, nam alia est objectiva, alia vero potest vocari formalis : prior est illa, quæ constituit rem in ratione objecti honesti : posterior vero quæ constituit actum ut actum in ratione actus honesti. Dices, omnis bonitas formaliter constituit in ratione boni illam rem, cujus est bonitas : ergo omnis bonitas est bonitas formalis. Respondetur hanc esse vocis æquivocationem, concedo enim objectum bonum formaliter constitui sua bonitate in tali esse, et hoc sensu illam posse appellari bonitatem formalem ; verum respectu hominis illa dicitur bonitas objectiva, et sub hoc respectu et consideratione datur illa divisio, nam, ut latius dicam inferius, in tantum aliquid est bonum alteri, in quantum est illi conveniens : dupliciter autem potest aliquid esse conveniens homini, scilicet aut per modum objecti, aut per modum formæ. Ad quem modum initio hujus operis distinguebamur finem objectivum et formalem : sic ergo in ordine ad mores aliquid est bonum homini ut objectum, quia scilicet est tale, ut per se sit recte amabile ab homine. Alio modo potest esse conveniens ut forma actualiter constituens hominem bonum : non enim fit homo bonus formaliter ab objectis per objecta ipsa, sed per ea quæ exercet circa objecta. Primum ergo bonum vocatur objectivum, secundum formale ; de quibus plura in sequentibus.

10. *Ad primum argumentum in num. 1.*—Ad primum ergo respondetur concedendo non esse necessarium, objectum habere formaliter eam conditionem, quæ est in actu : hinc tamen solum fit honestatem illam objectivam non esse necessario ejusdem rationis cum honestate formali, quæ est in actu, quod verum est, ut latius postea constabit, non vero inde inferitur honestatem illam, quæ est in objecto, non esse bonitatem quamdam, nam cum constituat objectum amabile, et sumatur ex convenientia ad rationalem naturam, cujus est objectum, ut dicam, necesse est illam esse bonitatem quamdam : unde in illa divisione boni in honestum, etc., bonum honestum non solum convenit actibus, sed etiam aliis rebus, quæ honeste amari possunt : est ergo illa honestas bonitas quædam objectiva.

11. *Ad secundum argumentum.*—Hinc ad secundum est facilis responsio, quamvis oporteat distinguere de bonitate et moralitate, si sermo sit de bono morali, nam denominatio boni sumitur sine dubio a bonitate ipsius objecti, quæ antecedit actum voluntatis ; deno-

minatio vero moralis potest sumi ex sola habitudine extrinseca ab actu morali ; nam, ut supra dicebam, objectum non denominatur morale, nisi quatenus esse potest causa actus moralis : unde sicut in medicina sana virtus causandi sanitatem est intrinseca in ipsa medicina illi ex se conveniens, et non a sanitate, et nihilominus denominatio sani est extrinseca illi a sanitate quam causare potest : ita dicendum de honestate objectiva quatenus moralis denominatur. Hinc ergo ad priorem partem illius argumenti, quæ est de rebus, quæ nullo modo sunt actus humani, concedo in eis esse honestatem et bonitatem propter quam sunt honeste diligibiles, ut dictum est de Deo, et idem est de aliis, servata proportione. Utrum vero honestas illa dicenda sit moralis, quæstio est de nomine, quæ jam satis explicata est : unde Ferrariensis supra illam vocat bonitatem naturalem, quæ non libere, sed naturaliter objectis convenit : D. Thomas autem vocat primordiale in genere moris, quod idem est, quod dicere esse morale causaliter. Ad posteriorem autem ejusdem 2 argumenti partem de actibus externis aliqui non formidant concedere dari circulum inter actum internum et externum, et non esse vitiosum, quia est in diverso genere causæ, nam actus externus est bonus, quia internus bonus est, et internus etiam est bonus, quia terminatur ad talem actum externum tanquam ad objectum. Sed in hoc committitur æquivocatio, nam respectu unius et ejusdem bonitatis nullus est circulus saltem, quod attinet ad specificationem, nam si sit sermo de bonitate objectiva, non ideo actus externus est bonus, quia est ab interiori bono, sed ex se talis est, ut declaravimus et retulimus ex D. Thoma. Unde etiam si actus eleemosynæ procedat a mala voluntate, quamvis ut actus non sit bonus, tamen ut objectum semper est bonus, quia de se semper est sufficiens ad dandum actui voluntatis bonitatem : unde potius est vera illa causalis, ideo actus voluntatis est bonus, quia actus exterior est objective bonus : at vero respectu bonitatis formalis, quæ convenit actui ut actus est, habet actus exterior ut sit bonus ab actu interiori bono, ut suo loco dicemus, tamen jam hoc est respectu diversæ bonitatis, et ita nullus est circulus.

12. *Ad tertium in fine ejusdem n. 1.*—Tertium argumentum petit, an quod dictum est de bonitate, extendendum sit ad malitiam. Et breviter dicendum, quoad aliquid esse eandem rationem, nimirum quando actus interior

ab objecto malus est, necessario supponi in objecto aliquam turpitudinem objectivam, a qua manat in suo genere tota malitia talis actus interioris, nam ideo est malus, quia circa pravum objectum versatur: pravitas ergo subjecti supponitur in ipso, et non manat ab actu interiori in ipsum objectum, ut facile patet applicando omnes rationes factas pro 1 assertionem. Est autem attente considerandum, quidnam sit proprium et proximum objectum talis actus interioris, nam in illo debet reperiri malitia, et non in persona, vel in aliqua alia re, ad quam terminatur, vel aliquo modo includit tale objectum, ut in exemplo adducto in argumento, odium Dei non habet pro objecto proximo Deum, sed non esse Dei, vel aliquid malum inferendum Deo, et ideo objectiva malitia respectu talis actus non est querenda in Deo, sed in hoc, quod est Deum non esse, vel malum aliquod inesse Deo: et ad hoc intelligendum confert quod supra dicebam, omnem actum voluntatis licet significetur per modum fugæ, includere prosecutionem, vel appetitionem aliquam, sicut in odio Dei includitur voluntas ut Deus non sit, vel ei fiat injuria: illud ergo, quod appetitur, est proprium objectum, in quo est malitia objectiva.

13. *Interest inter bonitatem et malitiam in appetendo.*—Est autem differentia notanda inter malitiam et bonitatem, quod bonitas non solum est in objecto, sed etiam de se est ratio formalis objectiva voluntatis: unde esse potest directe et per se volita; imo hoc etiam necessarium fortasse est, ut conferat actui interiori bonitatem: at vero malitia, licet sit in objecto, non est tamen ratio objectiva, quia *nemo intendens ad malum operatur*, nec malitia ut sic potest movere voluntatem ad appetitionem objecti: et quamvis fortasse interdum ex magna deordinatione posset voluntas amare malitiam ipsam, non tamen propter ipsam, sed propter aliquam aliam rationem boni, ad quam talis malitia existimari potest utilis, et ideo ut objectum malum communicet malitiam actui, non oportet ut malitia sit directe intenta aut voluntaria, sed satis est ut in ipso objecto aliquo modo sit volita: tum propter rationem factam; tum quia malum ex quocumque defectu.

SECTION II.

Quid sit hæc bonitas objectiva humanorum actuum.

1. *Ratio dubitandi.*—Ratio difficultatis est,

quia hæc bonitas reperitur in entibus realibus, ut in Deo, et eleemosyna: reperitur etiam in entibus rationis, ut in privationibus et negationibus, nam velle non occidere est actus bonus ex objecto; in illo ergo objecto est bonitas objectiva, estque mera privatio, seu negatio: convenit etiam rebus per extrinsecam denominationem realem, ut in actibus externis, qui sunt boni, quia præcepti; et mali, quia prohibiti, nam esse præceptum, vel prohibitum denominatio extrinseca est, et tamen in illa fundatur bonitas, vel malitia objectiva talis actus: hæc ergo bonitas in communi loquendo, non potest aliqua esse proprietas realis, alioqui nec reperiri posset in non entibus, neque oriri ex denominatione extrinseca: neque etiam esse proprietas rationis, quia, ut sæpe dixi, entia rationis sunt conficta, et ut sic nihil conferunt ad mores: neque denique potest esse aliquid commune, quia nihil tale fingi, aut excogitari potest.

2. *Prima opinio.*—In hac re potest esse eadem varietas opinionum, quæ, disput. præcedenti de moralitate tractata est, et quam inferius agendo de bonitate formali referemus, unde breviter illam attingo. Prima sententia esse potest, hanc bonitatem objectivam in unaquaque re tantum esse relationem conformitatis ad rectam rationem, non ut habet rationem legis, de quo postea, sed ut est vis præsentans voluntati, id quod eam amare oportet; quod videtur posse sumi ex D. Thoma 1, 2, quæst. 18, a. 1, ad 3, ubi dicit bonum ut propositum per rationem, pertinere ad genus moris.

3. Hæc opinio intelligi potest vel proprie de respectu ut significat relationem sive realem, sive rationis, vel fundamento talis respectus, seu denominatione, quæ in objecto oritur ex iudicio rationis. Neutro autem modo potest hæc opinio esse vera, nam primo quod attinet ad relationem rationis proprie dictam; rationes supra factæ convincunt esse impertinentem ad honestatem morum, nam hoc ipso quod intellectus iudicat eleemosynam esse honestam, relucet in illo objecto bonitas objectiva, et tamen nondum est orta relatio rationis donec intellectus conferat unum cum alio, et fingat illum. Deinde propter hanc bonitatem est res digna amore, quis autem dicat rem esse amabilem propter relationem rationis? Deus enim per se, et ratione suæ bonitatis est objectum maxime honestum, et summe deligibile, non propter relationem rationis. Denique objecta virtutum moralium realia sunt, et tamen sunt honesta bona. Secundo de rela-

tione reali, imprimis in objecto per rationem iudicato, nulla resultat talis relatio, sed si quæ resultat, est in iudicio ipso, ab illa autem non potest objectum denominari bonum, sed fortasse ipsum iudicium, unde nominatur verum, et inde etiam ut ipsum sit bonum quoddam intellectus magis ratione fundamenti, quam formalis respectus. Deinde etiamsi daremus hanc relationem conformitatis esse realem in objecto per rationem propositum, neque posset esse verum in omnibus objectis, ut patet in Deo, neque etiam ipsa relatio quidquam conferret ad honestatem objecti, nam præcise lex hoc, quod objectum intelligatur esse tale, quale per rectam rationem iudicatur, intelligatur esse honestum, et tamen in illo ut sic nondum intelligitur relatio, quia intellectus non iudicat de tali relatione, sed solum de ipsa re, et de tali proprietate illi conveniente. Unde facile probatur, etiam tertia pars de denominatione. Primo quidem, quia objectum non denominatur a iudicio rationis nisi cognitum, vel dijudicatum, quæ denominatio non constituit objectum bonum, sed manifestat solum id, quod objectum in se habet: unde antequam sic denominetur, vel cognoscatur, tale est. Ac denique, quia objecta non sunt honesta, quia iudicantur honesta, sed potius e contrario, ideo recta ratio iudicat illa honesta, quia ex se talia sunt, nam sicuti in aliis iudiciis veritas eorum fundatur in rebus, si nimirum tales sunt, quales iudicantur, ita in hoc iudicio rectæ rationis rectitudo illius fundatur in objecto iudicato: ergo honestas objecti non potest consistere in conformitate ad tale iudicium. Quocirca quando dici solet illud objectum in moralibus esse bonum, quod est conforme rationi, vel intelligendum est fundamentaliter, id est, quod in se habet unde recta ratio vere iudicet esse appetendum honeste, vel certe explicatur honestas a posteriori, et quoad nos, quia nobis est data ratio, ut per eam discernamus honestum a turpi.

4. *Secunda opinio.*—Secunda sententia esse potest, hanc honestatem esse positam in conformitate ad legem: quam insinuat Conradus 1, 2, quæst. 49, art. 1, ad 3, dum ait rectam rationem regulando objectum in legem æternam, vel aliam quæ sit participatio ejus, dare objecto bonitatem moralem: et potest hoc suaderi; quia lex est mensura et regula humanarum actionum: unde fit ut eadem omnino res realiter immutata posita lege præcipiente sit honeste appetibilis, stante autem lege prohibente sit objectum turpe.

5. Hæc vero sententia attingit quidem aliquid, quod semper est necessarium ad hanc honestatem, vel malitiam contrariam: non tamen universaliter, neque formaliter explicat, in quo consistat hæc bonitas. Primo, quia lex tantum datur de humanis actibus: hæc autem bonitas et honestas latius patet, quam actus humanus, ut in præcedentibus dictum est, et patet in Deo, qui per se est objectum honestum, quamvis de illo nulla lex dari possit, sed solum de actu, qui circa illum versatur, in quo distincta bonitas est ab illa, quæ est in Deo ipso.

6. Secundo, quia etiamsi loquamur de bonitate actuum, illa esse potest prior quam lex, multa enim sunt objecta honesta, quæ non sunt præcepta. Quod si quis forte dicat vel nomine præcepti comprehendere, etiam consilium, aut approbationem superioris; vel omnes actus honestos esse aliquo modo præceptos, non absolute ut fiant, quod potest vocari quoad exercitium, sed veluti sub conditione, seu quoad specificationem, id est, quod si voluntas circa tales actus versetur, tali modo tendat, quamvis enim mihi non sit in præcepto nunc loqui, est tamen in præcepto, quod si velim loqui, vera loquar. Nihilominus hæc responsio non satisfacit ob rationes, quas in simili supra feci tractando de ente morali, nam licet per impossibile non esset superior præcipiens aut prohibens; hoc ipsum objectum, quod est mentiri, per se propositum turpe est, et e contrario dicere verum, est honestum, et ideo etiam respectu Dei intelliguntur habere has rationes, et ideo alterum ei repugnat, alterum est connaturale: ergo hæc honestas per se et formaliter præcindit a lege.

7. Tertio, etiam in his quæ præcipiuntur, quædam præcipiuntur quia bona: ergo in eis non potest resultare bonitas ex lege, alia vero dicuntur bona, quia præcepta, in quibus si nulla sit bonitas, præcisa lege, quod raro invenietur, resultat quidem bonitas mediante lege. Tamen hoc dupliciter potest intelligi, quod lex se habeat tanquam causa efficiens moraliter, et tunc bonitas non potest formaliter consistere in conformatione ad legem, sed in illo medio virtutis ad quod pertinet materia talis legis, et consequitur in aliqua alia conformatione ad naturalem rationalem, quæ habuit fundamentum in tali lege, ut, verbi gratia, lex taxans pretium rei, dat illi moralem valorem, qui non est proprie conformitas ad legem, sed moralis quidam effectus natus ex lege in ordine ad hominum existimationem: